

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 58. Gallia plenæ subtractionis viam adoptat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Duces illius patrui, cum Arnaldo de Corbeja Franciæ Cancellario, cunctisque aliis Senatus Regii membris. Carolus III. Navarræ Rex ipse præfens erat, Castellæ Rex autem non nisi suos per Legatos. Aderant quoque Patriarcha Alexandrinus, undecim Archiepiscopi, sexaginta Episcopi, septuaginta Abbates, sexaginta octo Capitulorum Procuratores, præter Universitatis Parisiensis Rectorem, Facultatum Procuratores, & Academiarum Aurelianensis, Andegavensis, Montispeffulanæ, & Tolosanæ Deputatos, & plurimos Theologiæ, ac Jurisprudentiæ Doctores.

## §. LVIII.

*Gallia plenæ subtractionis viam adoptat.*

*Monach.*  
*Sandion.*  
l. 18. c. 2.  
*Hist Univ.*  
*Paris. tom. 4.*

Simon Cramaudus Patriarcha Alexanderianus hoc Concilium, cuius Præses erat, oratione Gallica auspicatus est, ac omnibus, quæ hucusque gesta fuissent, recensitis, subtractionem a Benedicti obedientia vel omni-

omnimodam, vel saltem quoad Beneficiorum collationes, & temporalia Ecclesiarum bona restrictam adoptandam proposuit, caussatus, Benedictum, pecunias in Galliis corrasas, & Beneficia, quorum collatio ei competeteret, potissimum impendisse, ut fautorum suorum numerum augeret. Suffragantium ferme erant trecenti, ex quibus ducenti quadraginta septem pro totali subtractione sententiam dicebant. Rex quoque plurimorum votis accessit. Ergo die 28 Julii subtractionis Edictum promulgatur, quod anno 1398. die 29. Augusti publicis Parlamenti tabulis insertum fuit. Hac lege auctoritate Regis prohibitum, ne subditorum suorum quisquam Benedicto obedientiam praestaret, vel officialibus ejus quidquam solveret: addito tamen mandato, ut interim Ecclesia Gallicana avitis suis libertatibus pleno jure potiretur, & beneficia secundum Juris communis prescriptum, vel per Electionem Capitulorum, vel ordinariorum collationem.

nem mere gratuitam conferantur, penitus proscripto omni onere Ministris Papalibus olim præstari solito, sub quocunque demum obtentu id exigeretur.

§. LIX.

*Ceteri Principes exemplum Galliæ sequuntur.*

*Hist. Univ.  
Paris, ibid.*

Paulatim universa propemodum Europa subtractionis viam amplexa est; nam Principes vicini, & Bavariæ Dux quantocius Gallorum exemplum imitati, similem obedientiæ denegationem tam in spiritualibus, quam temporalibus ad omnes suas ditiones extenderunt. Exhibit Historia Academiæ Parisiensis documentum subtractionis ab Episcopo Leodiensi Joanne Bavarо, ejusdemque diæcessis pluribus Nobilibus adoptatæ. Præterea Maria Bleensis Regina, & Ludovici Andegavensis Mater in Provincia, ubi agebat, Regesque Navarræ, & Castellæ in suis regnis, in quibus regimen Ecclesiæ